



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Apparatus Doctrinae Sacrae**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Exempla moderna Constantiæ Christianæ inter perpetuas pro fide
persecutiones, præsertim in Anglia & Hibernia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38464

In morte S. Francisci unus Fratrum vidit illius sanctissimam Animam in specie Stellæ splendidissimæ ex illius ore emicare, & cum ingenti gloria in cælum ascendere. Nec mirum, inquit S. Bonaventura, illo cum Christo figuram stellæ præ se tulisse, qui etiam in hac vita stigmata Christi portavit. In *vita S. Francisci*.

In funere S. Patricii Hiberniæ Apostoli exequias celebravit Angelorum chorus, qui cælesti luce, suavissimo concentu, & odoris fragrantia præsentium oculos, aures, atque animos miro modo recreavit. Quinimo totis duodecim diebus, quibus corpus inhumatum permansit, exequiarum locus & regio vicina sine noctis vicissitudine continuâ luce collustrata fuit: ut in *ipsius Vita* traditur. Plura V. in Appar. verb. *Beatus*.

CONCLUSIO.

Cælestis gloriæ ac beatitudinis nostræ radix & origo est Doctrina Christiana, quam hactenus elucidamus.

Hæc enim est per quam Deum ut creatorem, ac remuneratorem nostrum firmissima fide agnoscimus, & agnoscendo in eum speramus, sperando diligimus, diligendo veneramur: & ad promovendam præsentem ejus futuramque gloriam justitia Christiana officia exercemus. Hæc est lucidissima illa Cynosura, quæ nos in ancipiti hujus vitæ curriculo inter adversa & prospera perpetuò moderatur, ne à relllo salutis aeternæ cursu desectamus. Hæc denique est, quæ in ipsis vinculis, carceribus, exiliis, bonorum, vitæque periculis, invictos Christianæ militiæ pugiles virtute roborat, patientia manit, Constantia obarmat. Non enim coronabitur, nisi qui constanter & usque ad finem legitime certaverit.

Ad hæc Constantiam ne desint posteris præclara suorum Majorum Exempla, præsertim in Catholico Hiberniæ regno, illa hoc loco, post hæc doctrinæ Christianæ elucidationem, oportune subjiciemus.

EXEMPLA CONSTANTIÆ

Inter perpetuas pro fide Persecutiones: præsertim in Catholico HIBERNIÆ Regno per 12. huc usque secula.

ECclesiam Christi non immeritò Majores nostri à sui exordio Militantem dixerunt. Hic constanter in acie standum, hic militandum, hic adversus Fidei hostes semper dimicandum fuit. Habet verò hæc militia id præ ceteris illustre, quod non magis ad Victoriæ conferat magna agere, quam fortiter pati; neque magis gloriosum sit pro Christo in causa Fidei alienum sanguinem, quam proprium fudisse. In hac patiendi nobili palæstra suis constanter præire Dux ipse supremus & voluit: & debuit: Oportuit enim Christum pati & ita intrare in gloriam suam. Purpureum hoc Ducis vexillum firmo pede contra omnes Tyrannorum minas secuti sunt Apostoli omnes, & ab Ecclesiæ exordio tot Martyrum myriades. Hoc quoque ævo Europam quæ patet circumspice universam. Quot in Belgio, aliisque Regnis Christianæ Constantiæ illustres vicimæ cecidere. In una Anglia sub uno Henrico VIII. quindecim Superiores Regularium constantiam suam pro sustinenda Pontificis autoritate suo sanguine consignarunt: Religiosi alii ad ceterorum terrorem supra quinquaginta fame, pædore carcerum, ac suspendio sublati, ac pene totidem Sacerdotes singulari eruditione ac constantia illustres, præter duo Regni ac orbis lumina Joannem Fisherum Episcopum Rossensem, & Thomam Morum Regni Cancellarium, qui pro tuenda fide Romana colla securi intrepidè subjecerunt.

In hoc quoque Constantiæ Theatrum suo jure non postrema prodeat tandem *HIBERNIA*, non unius tantum ævi curriculo, sed per Duodecim penè sæcula cum Fidei hostibus, cum Hæresi, cum omnibus Tartari machinis & injuriis, non indecero Marte conflata. Ingentia quidem sunt Miracula quibus *S. PATRICIUS* universam Hiberniæ Insulam pariter cum fidei lumine ab initio collustravit. Verum illius nullum existi-

mo magis stupendum fuisse prodigium, quam quod in illa Gente quam à principio nactus est mobilem, & ad vagos Gentilium errores maxime proclivem, Fidei radices tam altè infixit, fundamenta Religionis Romanæ tam validè firmaverit, ut contra insurgentes omni ævo procellas per annos mille ducentos ad hunc usque diem, firmam innotamque prælitterit. Sapientis scilicet atque excellentis Architecti præcipua laus est, non ædificium extruere peregrino marmore opulentum, non magnificâ fronte superbum, non depictis auro laquearibus illustre, sed firmis potius subnixum fundamentis contra omnes temporum injurias, casusque venturos, factum rectum illæsumque constituere. Hæc tua laus est, magne Patrici, hæc dos primæva est, quam à Te pridem accepit tanto parente ter foelix Hibernia: cujus in ea dote conservanda in hodiernum usque diem Constantiam admirandam, mihi brevi tantum compendio exponendam proposui.

Annis à fundata per S. Patricium Hiberniæ Ecclesiæ quadringentis, quantis ea fuerit incrementis proyecta, quantis pietatis, ac doctrinæ ornamentis illustrata infinitum foret enarrare. Si *Pietatem* spectes, terram pridem iocultam & horridam; eo tempore hortum cælestium deliciarum, & terrestrem Paradisum non immeritò noncupares. Quod ne à me liberali nimis elogio Pronunciatum videatur, testem appello (a) *Jocelinum* antiquitatis studio illustrem. Intra (inquit) breve temporis spatium nulla eremus, nullus pene terre angulus, aut locus in Insula tam remotus fuit, qui per seclis Monachis aut Monialibus non repletetur; ita ut Hibernia speciali nomine *Insula Sanctorum* ubique terrarum jure nominaretur. Utque plures in eandem sententiam brevitatis studio prætermittam, instar omnium

(a) *Jocel. p. 173.*

crit irrefragabile S. Bernardi testimonium in *Vita S. Malachie*. Verè, inquit, Sanctus locus, fecundusque Sanctorum, nec modò in præfatas, sed in externas etiam nationes, quasi inundatione facta, illa se Sanctorum examina effuderunt. Quot ex hoc numero in Europam univerfam pietatis propagandæ studio æstuantem sese effuderunt (a) Columbani, quot in Galliam Fiacrii, ac Malachie, quot in Germaniam Kiliani, quot in Belgium Auberti, Levini, Rumuldi? Adeo ut quidquid illo ævo Roma armis ac Religione, hæc extrema Europæ Insula Sanctitatis ardore ac studio replevisse videatur.

Quanta verò fuerit cum hac sanctitatis laude conjuncta *Doltrina* excellentia, cum aliis pluribus testem sese offert antiquissimus *Beda*, natione Anglus, non magis pietatis, quam sinceritatis studio Venerabilis: (b) Qui apertè asserit è gente Anglorum plurimos etiam Nobilium relicta sua Patriâ divinæ lectionis studio solitos esse in Hiberniam commigrare: (c) qui & duos Angliæ Reges Osualdum, & Osuinum apud Hibernos optimis disciplinis imbutos ac institutos esse commemorat. Quin & ipse *Candemus* ex eadem gente licet heterodoxus affirmat, eâ ætate Anglofaxones in Hiberniam tanquam ad bonarum literarum mercaturam magno studio confluisse. In Gallias quoque ex hoc communi artium omnium Emporio integros sacrorum Philosophorum greges enavigasse testatur *Altiſſiodorensis* è Francorum gente author amplissimus. Ex hoc denique fecundissimo scientiarum Lyceo prodisse per Europam celeberrimarum Universitatum, ut Parisiensis in Gallia. Papiensis in Italia, primos fundatores declarat disertè (d) S. Antonium aliique complures. Adeo ut ab accepta per Patrium fidei luce, verè possis exclamare ô Hibernia! Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius, & lætata sum in omnibus quoniam antecedebat me ista Sapiencia, quam sine fictione didici, & sine invidia communicavi.

Invidit tamen hostis tartareus Hiberniæ hanc sanctitatis ac sapientie gloriam, quam ne pariter cum fide ad seram posteritatem transmitteret, impia Exterorum arma in hoc dicatum pietati Domicilium summo impetu concitavit. Eo fortè Divinæ Providentiæ id permittentis consilio, ut gens illa quæ tot sæculis pietatis ac litteraturæ, eadem deinceps Christianæ constantiæ documenta orbi præberet.

Anno siquidem reparatæ Salutis octingentesimo, juncti Danis Nortmanni armata classe (e) Hiberniam ingressi, infestissima utrimque bella suscitavunt, vario eventu per annos pene ducentos continuata. Quo tempore vix ulla evasit urbs aut oppidum, vix ulla celebrioris notæ Ecclesia, quam Paganorum impietas, & in Gentem Christo fidelem pertinax odium non everterit; adeo ut commemoret D. Bernardus in Coenobium Benchorensē elatos simul una die non gentos à piratis impiè occisos. His Ecclesiæ Hiberniæ cladibus tam diuturnis successit Procerum tam inter se, quam deinceps cum vicinis Regibus, Hiberniæ dominium affectantibus, perpetua pene dimicatio, quæ nondum obductas priorum temporum cicatrices acerbiori semper vulnere cruentavit. Inter has sibi succedentes temporum injurias, & concatenatas Gentis universæ calamitates,

(a) *Lombardus*, p. 212. (b) *Lib. 3. c. 27.* (c) *Lomb. p. 193. in Brit. p. 730.* (d) *Lomb. p. 230. Sap. 7.* (e) *Colgan. tom. 1. in præf.*

non parum deformata sunt primæ illa Hibernicæ Ecclesiæ ornamenta; abactæ Musæ, suppressæ sanctitas, eversa olim florentissima præfata pietatis monumenta. Mansere tamen, quod mirè, omni ævo inconcussa, à Patrio primum facta fidei Catholice fundamenta. Non defuere unquam in tot exterorum afflicto domesticis Athlantes, qui hujus Ecclesiæ ruinam suis humeris sustinerent. (a) Non cessavit in populo tot sæculorum cladibus & injuriis efferato cultus veræ fidei, sacrificium, hostia, libatio. Non exulavit præfatorum temporum imitatrix pietas, ac religio, quamvis ad latebras, ad sylvas, ad speluncas toties relegata: splendiit illa in latebris, floruit in sylvis, & è speluncis ipsis orbi Christiano latius inclaruit.

Volvitur demum ferreum & ferale sæculum quo suam inertiam & Hiberniæ constantiam indignatus Princeps tenebrarum, toto Acheronte contra hanc Gentem classicum infonuit, Hygias phalanges armavit, bella, horrida bella toto furore, viribus totis adornavit. Infremuit enim graviterque indoluit tot Genium spoliis infatur Lucifer, post expugnatam & à fidei constantia abductam univerfam Græciam, post eversam Luthero duce Germaniam, post concussam Calvinii fraudibus Galliam, post oppressam tartareo jugo Angliam, Daniam, Sueciam, Hollandiam: intractam adhuc, & suis viribus imperviam stare, & de Erebo triumphare Hiberniæ constantiam. Concipit igitur in hujus Gentis exitium dignas Lucifero iras & odia, telumque machinatur non unum, non leve, non vulgare, immittit in æthereas auras multiplices orci phalanges, quæ gemina libidinis, & impietatis face regium Henrici VIII. pectus in flammam agant. Neque verò segniter exarsit non tam Henricus quam infausta Hæresis, quæ Regis animum incautè occupavit. Pervast illa Angliam, involvit Scotiam, prostravit Walliam, involvendam quoque communi incendio non dubitavit Hiberniam, si nefas quantas habeat vires vera fides, & armata fide constantia: hæc in periculis intrepida, in suppliciis immota, atque inter ipsas secures sui securæ consistit.

Ad hanc caudem marpesiam ubi tandem adverit Henricus sisti suum impetum, frangi furorem, ab inermi gente armata Edicta repudiari, tum demum velut adversus gentem sibi inimicam in novas iras assurgere, & parem iracundiæ suæ vindictam meditatur.

Conspexere Hiberni, firmiores fidei Romanæ pugiles undique ad eadem & supplicia sub Henrico designari: nihil hinc de fide in Deum, nihil de fidelitate in Regem remisere: Trahuntur interea in vincula religionis causâ innocentes subditi, eriguntur feralia pægmata, cervices crudeli ferro indies subjiciuntur. At horum fides ex aliorum morte vivaciore, non dubitat licetorem, ferrum, supplicia intrepidâ cervice expectare, ac si vitam amittere nequirent, quamdiu fidem vni ipsa chariorem retinerent.

Utque luculentius scirent universi, Hæresis regio ferro armata nihil esse sanctum, nihil inaccessum, non dubitavit exemplum in ingens duos ex ipso (b) Cardinalium Collegio publico supplicio afficere, & venerandam purpuram nobiliori murice cruentare. Deces, Marchiones, Comites, Comitumque filios plusquam duodecim tremendo orbi spectaculo secum subiecit: & inter hos ex Hibernis illustrissimum Killaricæ Comitem Thomam Fitzgarretum simul cum quin-

(a) *Bosius l. 8. c. 1.* (b) *Sander. Lib. 1. Fol. 421.*

Arde
kin

Theo
logia

D. IV
2. 8

que avunculis uno die ad totius Insulæ terrorem infami supplicio interemit. E Baronum, Equitumque numero supra octodecim capita demersit. Abbates, & Priores Cœnobiorum tredecim, Presbyteros ac Religiosos septuaginta septem bonis pariter ac vita exiit. In reliquam nobilitatem, ac plebem Catholicam ebriam cruore hæresis tam latè ferro grassata est, ut, teste qui tunc vixit, Sanderò, numerum omnem, fidemque superaverit.

Nonne tandem tremere inter hæc Hibernia! nonne fluctuare, nonne fortunæ, soboli, vitæ, aliorum more consilere? Tremere sanè, meritoque ad hæc fluctuaret Hibernia, nisi à Patricio tanquam cœlesti Apolline in negotio fidei altius firmata, inter trepidantes Insulas dudum numerari desisset.

Sed hæc initia tantum sunt dolorum & Hibernia! quantò tu firmius in fide persistis, tantò tibi diuturniora prælia Hæresis indicit. Mors quidem Henricum è vivis, sed non Hæresim eripuit. Hæc velut hæreditario jure pariter cum corona ad Elizabetham translata, per totos quadraginta annos parem tibi servitutem, parem calamitatum iliadem exhibebit. At tu malis pro fide tolerandis assuetus, ex adverso ostendes, neque malorum numero, neque diuturnitate temporum, innatam tibi constantiam frangi posse aut labefactari.

Post tot exhibitas orbi tragœdias parum sibi profecisse visa est velana Hæresis, ut liberius fureret, exemplo hæcenus invisio, fœmineo vertici cum regia corona, Pontificis quoque Tiaræ imponit, ut supremo utriusque potestatis apice formidanda, gemino velut fulmine Sacra omnia ac profana miseret. Pergit igitur hæc, dominante Elizabetha, majori quam ceperat impetu ac furore Templâ olim avitâ majorum pietate erectâ toto Hiberniæ regno Catholicis eripere, Cœnobîa omnia pro sua libidine in usus profanos convertere, residua Ecclesiarum bona in novos impietatis ministros transcribere, Regni Antistites, Presbyteros, homines Deo dicatos in latebras, in exilia, in vincula adigere. Hæc ut violentius exequeretur, novo Decreto armatur publicâ Comitiorum auctoritate roborato, quo omnibus Missæ Sacrificium, aut Sacramentum aliquod Romano more administrantibus indicitur, ut primâ vice ducentos aureos aut sex mensium vincula incurrant: secundâ quadringentis aureis aut unius anni carceribus adstringantur: Tertiâ demum vice ut perpetuo ergastulo addicî, omnibus pariter fortunæ bonis exuantur. Hæc prima Decretorum fulmina in extremum Religionis exitum toto regno evisbrata, Clerum undique tam secularem quam regularem vel in extremas domi angustias, vel in vaga per Europam exilia adegerunt.

Sed ne quid rei Catholicæ integrum illæsumque permaneret, non leviora in Laicos reliquamque gentem tela detorquentur. Quorum ut plurima præteream: id omnibus in commune indicitur, ut si qui ex universo regno, etiam de plebe infima, festivis diebus à Novatorum templis absissent, toties in pœnam, plebæis cervicibus gravem, asses duodecim in singula familiæ capita persolverent: ut tandem lento hoc supplicii genere consumptis vivendi mediis, aut vitam ipsam, aut fidem prodigerent. Hæc sanè tortura populo inopi, totque antea malis exhausto quavis catastro aut equuleo gravior apparere potuit. Verùm ad labefactandam Hibernicæ plebis constantiam tam parum invaluit, ut inventi sint

non pauci, qui omni ære ac peculio hac ratione penne consumpto, quod reliquum erat in Exactorum manus ultro obtulere, rati servato tantum Fidei thesauro, se satis fore in pauperie divites, in mendicitate opulentos.

Quoniam ergo his artibus lentum videbatur in externas facultates & corpora grassari, compedes denique & catastas multò graviore excogitavit impia Hæresis, quibus animas ipsas constringeret, & conscientiæ soli Deo subditæ vim inferret. Hujusmodi fuit novum Juramenti genus, quo necesse foret profiteri Reginam esse supremam gubernatricem omnium suorum Regnorum non minus in rebus spiritualibus atque Ecclesiasticis, quam temporalibus & politicis, abjuratâ penitus omni potestate ac jurisdictione Pontificâ. Qui juramentum hoc præstare recusarent statutum fuit ut prima vice bona eorum omnia fisco cederent, secundâ pœnam capitis perduellionum more incurrerent. Hæc violenta animarum carnificina quanto apertius intima veræ fidei penetralia impetebat, tantò constantius ab universa Gente spreis tot pœnarum terroribus, omni tempore rejecta ac repudiata fuit.

Quis mihi nunc calamus describet, pro tænda in fide constantia eâ tempestate quot Sacri pugiles in arenam prodire, quot vincula decorarunt, quot carceres nobilitarunt, quot regna exiliis, quot tribunalia dirissimis quaestionibus ac suppliciis impleverunt. Ut præteream è media plebe innumeros partim ferro, partim exiliis tot annorum curriculo miserè confectos. Inter supremos Ecclesiæ Hibernicæ Antistites recensere possim primò Archiepiscopos omnino quinque, ex Archiepiscopatu Armacano duos regni Primates Creaghium, & Gauranum: ex Casselensi Hurlæum, & Gibbonum: ex Tuamensi Nicolaum Skerretum: quorum omnium acta eximia, & admiranda constantiæ exempla, nisi brevitati studerem, promptum esset palam orbi Christiano exhibere. Ex Episcoporum numero reperio non pauciores quam tredecim non minus Tiarâ quam virtute conspicuos, qui variis suppliciis & æramnis pro conservanda orthodoxæ fidei integritate vitam ultro posuere. Ex aliis Prælatibus, Presbyteris, ac Religiosis, præter alios mihi ignotos, monumentis consignatos reperio sex supra triginta qui eadem causâ, non dispari exitu vitam pro fide oppignorarunt. Infinitum foret hic ad calculos revocare ex primariis Hiberniæ Familiis illustres Fidei Heroës, quos innata in Religione constantia & persequentium furor in exitum adduxit, quorum aliqui cum tota progenie in perpetuum proscripti, non dubitarunt Religionis veræ causâ in interitum ruere voluntarium.

Post hanc malorum iliadem, & continuam per annos quadraginta & quod excurrit bonorum animorumque in fidei causâ torturam, cum Elizabetha è vivis abeunte nondum clauditur feralis Hiberniæ tragœdia. Sub Jacobo, novo Rege, nova calamitatum scena aperitur, quæ Gentem tot malis confectam & penè exanguem in novum constantiæ theatrum adducet. Spargit primò insana Hæresis per universum regnum avidos prædæ Satellites recentibus edictis armatos, qui confractæ Gentis reliquias novis rapinis, ac tributis exhauriant. Introducit deinde inextricabiles quaestiones de Religione Romana, (a) ejusque in singulis penè articulis exercitio, de avitis Catholicorum possessionibus ad severum examen revocandis, de fundis

(a) *Philadelphus Pag. 1. Art. 5.*

& latifundiis partim gravandis, partim ad alios Dominos transferendis, de novo Reip. statu constituendo, de novis Anglorum colonis introducendis, de novis Ministris instituendis ac dotandis, de novo Titulorum ac hæreditarum jure faciendis, quo facilius possent veteres coloni de avitâ possessione deturbari. At frustra sævit in electum Christi gregem vesana Hæresis: non frangitur, non hæretur, non labefectatur fida Deo, fida Regi Hibernia, sed Pastoris sui vocem secuta, tanquam ovis ad occisionem ducta, coram tondente se, ac laniente obmutescit. Conspirent in hanc unam omnes Erebi phalanges, non cedet: mille opprimant injuriis, non succumbet: omnia majorum decora ac monumenta posteritati eripiat, hanc illa fortunam, quantumvis diram ac luctuosam, non regnando, sed patiando superabit. Non recusat illa & corpus, & omnia corporis subsidia secari, dividi, lacerari, modò Caput, hoc est, Regis sui coronam, aut Pontificis tiaram non attingas, his solum protegendis pridem vitam atque arma consecravit.

Hic ego præteritorum temporum Annales & memoriam ultimam appello, si ulla unquam Europæ Regio tanta malorum serie Religionis causâ exagitata, contra omnes hominum dæmonumque injurias, tot annorum lustris, constantiâ tam infractâ atque inconcussa, in avita fide permanserit. Græciam conceussit Ottomanus, & dudum cecidit illa tam nobilis, totque fulta præsidii Orientis Ecclesia. Germaniam invasit Lutherus privato potius furore quam publico terrore armatus, & ecce quot regna, quot provinciæ nobilissimæ exiguo tempore Religionis avitæ ruinam sustinuerunt. Centum jam & amplius annis sine alterâ requie, cum armata furis hæresi, cum carceribus, cum exiliis, cum stricto licitoris mucrone, sola, inops, inermis, exhausta decerat Hibernia: & adhuc laceratis undique fortunis, integra tantum fide in Deum & fidelitate in Principem, in arena & agone perfluit. Jactent alia Regna opes & potentiam, strata classibus maria, subactos latè populos, advectas ab extremo oriente gazas. Tibi autem, ter beata Sanctorum Insula, absit gloriari nili in cruce Domini tui; in servitute, in jugo, in pauperie pro Christi Fide constanter tolerata: hæc tu saltem Titulis & insignibus decorata, in Catholicorum regnorum Fastis primas non immeritò obtinebis.

Piget fortasse hæctenus tristes rerum imagines, & continuas unius Regni tempestates sine alterno benignioris syderis aspectu vestris oculis animisque repræsentari. Verum, non est cur pigeat nos dicendo pergere, quamdiu non tædet Hiberniam patiendo perseverare. Vocat nos demum ultima, ac pene fatalis tragœdiæ hujus catastrophe, in qua non tantum acerba temporum anteriorum vulnera, sed ipsius pene Sanctorum Insulæ interitum spectare cogemur, si tamen interire dicenda est quamdiu vivit fides, spirat pietas, & securam vitæ melioris constantia in ipso quasi funere efflorescit.

Postquam igitur Hæresis, nullis unquam cladibus, nullo sanguine saturata, in hæc remotiora regni Anglicani membra per tot annorum lustra insuper deservit, non dubitavit demum insolenti facinore in ipsum regni Caput violentas manus injicere; illud, inquam, caput truculento ferro præcidere, quod ipsa pridem in Ecclesiæ Anglicanæ Caput evexit. Atque ita hæresis eadem uti facinoris hujus auctrix, ita ultrix fuit, dum ausa est uno ictu regni pariter ac religionis suæ

Caput amputare. Spectavit inulta domesticum seculus ipsa Angliæ, & cæteri Europæ Principes potentissimi. Non tulit tamen ab ipso exordio illas Regi suo injurias, uti fide in Deum, ita fidelitate in Regem assueta Hibernia. Erexit se quamvis oppressa, armavit se quamvis hæctenus inermis, & præpotentes Anglicani Parlamenti copias in se ultro concitavit. Ante omnia pro Fidei tutela ac defensione Catholicum Concilium Procerum ac Prælatorum sibi præfecit, qui Regis licet eo tempore exulis & absentis nomine regnabenas, & arma administrarent. Quoque se, suamque causam Deo, ejusque in terris Vicario æctius adstringeret, Nuncium Apostolicum à Romana Sede petiit, & impetravit. Neque ex alia parte desinit missis continuo Delegatis Regis sui adventum sollicitare, donec tandem Rex alium, qui Catholicis armis præficeret, suo nomine submisit. Quamvis hinc non ignoraret Hibernia, hostes regio nomini infestissimos in suum exitum iras omnes & arma conversuros. Favit quoque ab initio sinceris Hiberniæ conatibus divina Clementia, ac felicibus auspiciis totum pene regnum Catholicis armis, sui que Regis obsequio subiecit. Factis hæc progressibus, ac lucido Fidei penè triumphantis intervallo incitata iterum Hæresis, odii plura quam furialibus omnia domi forisque miscere, turbare, & agitare aggreditur, ut Gentem tanto tempore suæ tyrannidi subiectam, in novam fidei liberalitatem assurgere pariat.

Cromwellum igitur avi sui portentum, ejusque copias Regis sui cæde infames, ad Religionis, ac Regii nominis interitum in Hiberniam latè effundit: qui omnibus toto regno edicit ut qui se, suæque servatæ voluntæ, relicto tantum Rege ac Religione Romana, Parlamenti Anglicani Leges ac Jura recipiant. His sine mora constanti fide repudiatis: ac demum post varios casus regni viribus qua vi, qua dolo miserè laceratis, quæ, quantumque pro Rege ac Religione Civitates singulæ sustinuerint ad perpetuum constantiæ exemplum deinceps spectabimus. (a)

Cæsis non ita pridem ad Dublinum Catholicorum copiis, Urbi Pontanensi, quæ à Septentrione Dublino adjacet, hostilia castra admoventur: hæc quamvis externo auxilio destituta, contra perpetuos victoriarum copiarum assultus tam fortiter stetit ac dimicavit, quam si ex suo lapsu totius patriæ ruinam formidaret. Donec tandem hostium numero magis quam virtute superata, vitam pacificè coacta fuit. Sed & hanc innata hæresi perfidia promiscuè cæde innocentibus ademit; extractis quoque à latebris ac publico supplicio affectis quos pro Rege ac Religione fortius stetit constabat. Inter quos (b) P. Joannes Bathæus è Societate JESU, cum fratre Sacerdote ad stipites alligati, & plumbeis glandibus trajecti, nobiles fidei victimæ occubuerunt.

Hoc rerum successu ad novas cædes incitata hostium crudelitas, pari furore atque impetu Wexfordium aggreditur, Urbem maritimam avitæ fidei, & auctoritatis regis omni ævo tenacissimam. Hæc ut erat insigni civium robore, & natura loci munitissima, potius se hostium dolo captam vidit, quam capiendam formidavit. Irruunt densò agmine hostiles copię, obvias quoque prosternunt, ac præ cæteris sacrosatos Deo libe-

(a) Anno 1648. 2. August.

(b) Anna Soc. 1650.

Ardle
Kin

Theologia

D. 18
2. 8

mines ad necem deponunt. Inter hos ex sacra S. Francisci familia septem omnino innocentes victimæ ceciderunt, tam intrepidam omnium ordinem in aperta fidei professione constantiâ, ut etiam eximbelli sexu ultro accurrerint Sacra Deo Virgines, quæ se numero cætorum adjuvandas obrulere.

Neque tamen hæc immania crudelitatis exempla cæteras Hiberniæ urbes permovere potuerunt, ut cum minima Religionis aut regis autoritatis jactura, pro se suffoque fortunis cum hæretico hoste pacifcerentur. Eodem quippe hostium furore, eademque civium constantia occupatur *Rossia*, expugnatur *Waterfordia*, frustra civibus oblata rerum omnium, præterquam *Missæ*, libertate. Ac demum post geminam obsidionem opprimitur magis quam prostrernitur *Clonmelia*, quam hostes ipsi ab admiranda fidei firmitate, parvam Romam nuncupavere.

Stabat hæc tamen inter vicinarum urbium ruinas fida semper Deo, fida semper Regi *Kilkenia*, quæ olim Regni Delitiæ, & Musarum Athenæ, eâ verò tempestate Catholici Concilii sedes nobilissima fuit. Hanc velut amputatis membris exanguem, & undique desertam, impius hostis totis viribus sibi tandem oppugnandam suscepit, ut quam non poterat statem, saltem Linguentem opprimeret; oblata sæpius conditione, ut si in Parlamenti Anglicani fidem se daret, eâdem cum *Londino* immunitate gauderet. Maluit tamen illa cum populo Dei affligi, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Incensitaque, ne ab hoste occuparentur, propriis suburbiis, non tantum violentam obsidionem, sed etiam supremum totius exercitus assaultum intrepida sustinuit. Donec tandem ruentis patriæ casum secuta, cum suo Antistite Davide Rotho in hostis potestatem redacta est: à quo deinceps, irâ in longum protractâ, eam subit pro Fide ac Rege honorum jacturam, ac primariæ nobilitatis lentam carnificinam, quam & animus meminisse, & manus exarare perhorrescit.

Uaum tamen multis testibus eo tempore gestum, non est ut tacitus præteream. Stabat tunc, & stat etiamnum *Kilkenia*, in splendido urbis foro moles lapidea ac magnifica elegantis opere per modum obelisci in sublimè affurgens: huic innituntur quatuor excelssæ columnæ, quæ supremam totius operis partem sustentant: ad has à quatuor partibus per lapideos gradus in altum ascenditur. Supra hanc molem ad publicam venerationem lapidea Crucifixi statua in suprema cuspidē eminebat, quam in illam diem nullus hæreticorum furor deformare, aut violare ausus fuit. At verò post urbem à Cromwelliano milite occupatam, convenere ex illis in forum aliquot impietatis antesignani sclopis armati, ac directis in illam Crucifixi statuam crebris ictibus, ut impietati triumphum canerent, nobile illud Crucis trophæum sibi demolendum susceperunt, quod & pertinaci tandem rabie perfectum fuit. Sed ecce, hujus impietatis artifices Deo vindicæ, pede non claudendo pâna secuta est. Sic enim omnes divina ultio, & occultus languor invasit, & miserandum in modum afflixit, ut eorum nullus intra paucos dies superstes fuerit. Non potuit *Kilkenia* occumbenti minor victima immolari. Hoc ego ex publico & recenti eo tempore testimonio, & ex viris fide dignis qui eo loco tunc debebant, & ex Annis in Urbem litteris comperit habeo.

Sed ad te nunc proprio nobilis *Covcagia*, in hoc Constantiæ theatro cum Fidei hostibus non indecore decertantem. Urbs hæc per Momoniæ Præsidem si-

R. P. Ardeck, Tom. III.

ne belli strepitu astu occupata, graviora bellis pro Deo ac Rege certamina sustinuit. Gener namque Præsidis urbi præfectus, ac nulli Catholico fidentium ratus, publico edicto omnibus palam indicit, aut Romanam fidem, aut urbem ante vesperum esse deserendam; atque in communis fugæ signum ternam bellici tormenti explosionem instituit. Spectaculum urbi miserandum, sed orbi admirandum, ac celo gloriosum! Ante tertium tormenti signum, cives omnes, matres cum infantibus, ac graves ætate Senatores cum universa familia in campos effusi, in exilium abiecte voluntarium, avitam religionem avitis opibus ac lacibus præferentes, manè opulentj, vesperorum omnium, præterquam fidei ac fiduciæ in Deum penitus egeni.

Post tantos vicinarum urbium terrores, nonne aliquid de sua erga Regem ac Religionem observantia remitteret *Limericum* urbs amplissima, sed omni spe auxilij jam penitus interclusa. Spem quidem illa, in communi patriæ ruina, abjicere potuit, sed fidem non potuit, ut hanc vel ipsa morte tueretur, hostem intrepida expectavit, diurnam obsidionem undique deserta sustinuit, & ad extremum cum plurimorum civium, sui Antistitis, ac fortunatum omnium interitu, constantiæ suæ ac fidei famam ad posteros transmisit immortalem.

Cadente undique Patriâ stabat adhuc in armis *Ultonia*, quam ne dubitares sacro bello manus consecrasse, Episcopum sibi Colcherensem in supremum armorum Ducem elegit. Hunc pro Deo ac Rege strenuè dimicantem, Carolus *Cootus*, suâ in Catholicos sævitia fat notus, infami tandem astu circumvenit, captumque cum plurimis proceribus, cum fide non posset, vitâ spoliavit.

Delectis copiis, & subactis passim urbibus, sola supererat *Galua*, ad deditonem ab hoste sæpe sollicitata. Sed hæc etiam sola, suorum civium eximia fide ac virtute suffulta, non dubitavit ad annum penè integrum contra ferocissimum hostem totius belli molem sustinere: maluitque demum suo interitu occidenti patriæ parentare, quam cum minima perfidiæ nota se suorumque fortunam à communi exitio conservare.

Quæ mihi nunc manus, quæ lingua exponet vel tenuem umbram illarum calamitatum, quas captarum urbium ac provinciarum incolæ à juratis fidei hostibus deinceps subierunt? dum propriis sedibus undique expulsi, alij ad dirissimas quæstiones & lanienam quæsti, alij ad steriles Conatiæ scopulos compulsi, graviores ipsa morte pressuras sustinuerant. Quæ omnia si ad calculum hic revocare prolixum non foret, liquidò constaret, plusquam centum Catholicorum millia in Romani nominis odium vita, hæreditate, aut patria spolitata fuisse. Quodque obstupescat fera posteritas; ad redimendum tantas tanque diurnas calamitates, vix in toto Regno inventi sunt etiam ex infima plebe, qui in animum induxerint suum, desertâ aut etiam dissimulatâ Romanâ fide, hæresi manus dare.

Est sanè (inquies) cur Genti fidelissimæ orbis Christianus merito gratuletur. Nunc præsertim, postquam Cromwelli impietas suum cursum consummavit, Hiberniâ fidem servavit, reposita est Carolo Regi debita justitiæ corona. Rectè id quidem. At, si necis, extinctus est dudum aliis, vivit adhuc Hibernis Oliverius. Spoliavit ille avitâ hæreditate subditos Regi fidelissimos: manent illi maxima ex parte etiam hodie sua hæreditate exuti. Cives toto regno muratis urbibus ac